

DISSERTATIO THEOLOGICA INAUGURALIS,

*Questionem :*

**AN THEOLOGIA  
SIT HABITUS PRA-  
CTICUS ?**

examinans,

Quam

*Ex Decreto MAGNIFICI THEOLOGORUM Ordinis,  
in Illustri Academia Rostochiensi*

SUB PRÆSIDIO

VIRI Magnifici & maximè Reverendi

**DN. JO. JOACH. WEIDENERI,**

SS. TH. D. & Prof. Publ. Ord. Facultatis suæ Senioris  
& ad Divum Mariæ Pastoris,

*Præceptoris, Patroni ac Promotoris Sui*

perpetuo æstimationis ac reverentiæ cultu devenerandi

Pro primo in

**THEOLOGIA GRADU,  
qui BACCALAUREATUS est,**

impetrando,

*curatori eruditorum examini submittit,*

**JOANNES DANIEL Feikebusch**

Gedanensis, S. TH. Candidatus,

In AUDITORIO THEOL. MAXIMO D. XVIII. Martii

A. O. R. MDCCXXIII.

*ab hora octava matutina ad usque duodecimam.*

ROSTOCHII,

Typis Jo. JAC, ADLERI, SEREN, PRINC, & Acad. Typogr.


*Diss. A. 232 (23)*

Coll. diss. A  
232, 23



Sächs.  
Landes-  
Bibl.





I. N. J.

# SUMMARIA:

- I. Præfamen.
- II. Theologiæ vocabulum quo sensu hoc loco accipiatur.
- III. Theologia rectè definitur per habitum sensu Biblico sumptum.
- IV. Locus *Hebr. V. 14.* explicatur.
- V Sigillatim vocabulum *ἐξέωσ.*
- VI. Definitio Theologiæ KÖNIGIANA vindicatur.
- VII. Theologia Catechetica sensu Biblico minus rectè appellatur habitus.
- VIII. IX. Quæstio : An Theologia sit habitus practicus proponitur, & varia Theologorum sententiæ afferuntur.
- X. Vocabulum *πράξις* explicatur.
- XI. Status Controversiæ formatur, & Theologiam formaliter practicam esse negatur, quod probatur.
- XII. α) à requisitis habitus practici.
- XIII. β) quia solus DEUS praxin excercet.
- XIV. γ) quia vera est Theologia irrogenitorum licet subjectivè non sit practica.
- XV. δ) quia praxis quatenus est hominis non influit in finem.

A

XVI



XVI. ε) quia praxis ministrorum ecclesiæ robur & efficaciam trahit à Spiritu S.

XVII. ζ.) quia sola praxis virtualis non sufficit ad

disciplinam formaliter practicam.

XIIX. concluditur: Theologiam recte methodo Synthetica tractari.

## §. I.

**F**ert animus quæstionem ex Theologia Polemica non ignobilem: An Theologia fit habitus practicus? Sub incudem disputationis revocare. Facile prævideo fore multos, quibus hoc disputationis genus leve & indignum eruditorum συζητήσει videatur, præsertim cum Iliada post HOMERUM scribere, hoc est, materiam jam satis tritam denuo in Scenam producere parum præ se ferat utilitatis. Ast verò longè mitius nobis ab illis pollicemur iudicium, quibus solenne est dignitatem argumenti alicujus, non Scriptorum qui id sibi elaborandum sumpserunt multitudine, sed argumentorum robore, & præsentissimo cum primis quod ex eodem redundat commodo metiri. Quæ talia num ex qualiscunque instituti nostri ratione speranda sint, ipsa forsitan tractatio æquos rerum æstimatores docebit.

## §. II.

In naturam & indolem vocis Theologiæ ut operosè inquiramus vix operæ pretium esse existimo, quandoquidem hic otia nobis fecerunt Theologorum

rum



rum systemata, ad quæ Benevolum Lectorem ablegamus. Sufficit nobis indicasse, sermonem h. l. esse de Theologia didactica strictè sic dicta, vel de illa Theologiæ latè acceptæ parte, quæ dogmata fidei θεϊκῶς καὶ ἀκροαματικῶς exponit non tamen prorsus neglecta controversiarum extantiorum enarratione, vel etiam dictorum scripturæ probantium ἐξηγήσει. Hæc enim cum Theologia Thetica strictè sic dicta commode posse conjungi salva manente methodo penes me non est dubium. Eadem & systematica dici consuevit sensu itidem strictiori; res enim homogeneas (divinas) ad unum objectum (DEUM) revocabiles aptè & ordinatè tractat, juxta monitum Apostoli, quod jubet ὀρθολογεῖν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας II. Tim. II. 15.

### §. III.

Quodnam verò Genus Theologiæ hisce veluti limitibus circumscriptæ debeat assignari, de eo non omnium eadem est sententia. Nostrum de tota hac controversia judicium ferè huc redit. Sententias tantum non omnes aliquid saltem veritatis in se continere, adeoque sensu Biblico nullum prorsus cum Subtilitatibus philosophicis commercium habentue tolerari posse, sensu verò philosophico debere repudiari. Sic quando Theologia ab ipso Spiritu S. vocatur Sapientia, figillatim Deut. IV. 6. Ps. XIX. 8. Prov. II. 5 & III, per tota capita Luc. XXI. 15. I Cor. II. 7. I Cor. XII. 8. Eph. I 8. 17. Col. I. 9. 28. Cap. III. 16. Jac. III. 17. nil ferè significatio hujus vocis, præter nomen cum Aristotelica sapientia commune



mune habet; nec enim nudæ tantum cognitionis gratia addiscitur *Pf. LXI. 10.* vel circa universalia solum versatur *Eph. IV. 5.* nedum à priori evidentissime demonstrari potest, sed simpliciter credi debet ratione sub obsequium fidei redacta *2. Cor. X. 5.* Neque diffitemur res divinas ob summam suam certitudinem sciri posse, nisi scripturæ dictis *Job. XIX. 24. 1. Cor. II. 2. 1. Job. III. 11. 12.* Undè etiam Theologia *Esa XI 9.* אֱלֹהִים יְהוָה & *1. Cor. XII. 8.* λόγος γνώσεως appellatur; neutiquam tamen exindè inferri potest: Ergo Theologia rectè & in rigore Philosophico per scientiam definitur. Ut enim alias rationes taceam: Scientia suas conclusiones in evidentissima principia, Theologia vero & conclusiones & principia sua ultimò in auctoritatem revelantis DEi resolvit *Es. VIII. 20. 2. Pet. I. 19.* Præeunte quoque Scriptura S. si aliquis Theologiam definiens loco generis vellet uti doctrina nos non haberet morosè contradicentes, quamvis accidentaliter saltem, quatenus vel scriptis vel viva voce docetur, Theologiam hoc nomine insigniri posse in propatulo sit, conferatur *Deut. XXXII. 2. Prov. VIII. 10. Jer. III. 15. Job. VII. 16. 17. Act. II. 42. Cap. V. 28. Cap. XIII. 12. 1. Tim. IV. 6. 1. Tim. VI. 3.* Reliqua definitionum genera, quæ neque Biblica sunt, neque per se in Theologiam quadrant, planè rejicimus. Restat ut de habitu nostram sententiam exponamus. Fatemur ingenuè, ne hunc quidem sensu Philosophico hic locum habere posse *conf. §. 4.* sensu verò scripturario & Biblico cœlestis doctrinæ naturam, omnium convenientissimè per habitum exprimi judicamus. Ratio verò, quare repudiatis aliorum opinionibus utut in Scriptura S. fundatis, poti-



potissimum pro habitu militamus, hæc est: Quia hic sermo est de Theologia Acroamatica, quam neque per scientiam neque per sapientiam & doctrinam Spiritui S. describere placuit; Tantum vero abest, ut promiscuè omnibus rerum sacrarum cultoribus habitus nomen conveniat, ut potius ad ætate & doctrinam provectiores ab Apostolo habitus veluti restringatur.

#### §. IV.

Nititur assertum hoc *Heb. V. 14.* τελείων δὲ ἐστὶ ἡ  
 σερεὰ τροφή τῶν δια τὴν ἔξιν τὰ αἰσθητήρια γευμασμένα ἔχον-  
 τῶν πρὸς διάκρισιν καλεῖτε καὶ κακῶ. Arduam in hoc ca-  
 pite Apostolus inculcat doctrinam, nimirum de of-  
 ficio Christi sacerdotali. Dolet verò *vers. II.* sibi  
 rem esse cum hominibus imperitis, qui ob negle-  
 ctum rerum sacrarum scrutinium nondum pares es-  
 sent tantis mysteriis pro dignitate ritè imbibendis.  
 Hinc *v. 12. 13. 14.* accuratè distingvit auditores suos  
 ut more in Schola Pythagoræ recepto loquar in  
 ἐξωτερικῶς & ἐσωτερικῶς. Hos vocat doctores non qua  
 officium, sed qua doctrinam; & perfectos, non qui-  
 dem absolutè, sed comparatè tales: Illos verò in-  
 fantes appellat, non quidem ætate, sed mente conf.  
*Cobel. X. 16. Es. III. 4.* Hos σερεὰ τροφή cibo doctrinæ  
 solidiori innutriendos esse docet; Illis vero τὰ στοιχεῖα τῆς  
 ἀρχῆς τῶν λογίων ἢ Θεῶν exordialia scilicet Christianismi ele-  
 menta addiscenda rursus esse & γάλα fivè lac cateche-  
 ticum, tanquam infantibus in Christo propinandum  
 esse arbitratur, rationem mox subjungens: Quia  
 τέλειοι haberent τὰ αἰσθητήρια γευμασμένα πρὸς διάκρι-



σιν καλῆς καὶ κακῆ & quidem διὰ τὴν ἕξιν. Per *sensus* h. l. non intelligit *sensus* corporis, sed metaphoricé ipsam hominis mentem. Quemadmodum enim habitus corporis non nisi indefesso studio & labore comparantur, sic etiam frequens exercitium à Spiritus S. gratia adjutum ad qualitatem hanc menti infigendam requiri ostendit. Talem quoque, procul dubio *διάκρισιν* boni & mali requirit, quam *διάκρισις* veri & falsi antecedit, ut patet ex usurpatione hujus phraseos 1. *Thess.* V. 21. Quid verò *ἕξεως* vocabulum h. l. denotet, nunc paulò altius repetendum esse videtur.

## §. V.

*ἕξεως* S. Habitus vox magna laborat ambiguitate. Vel enim id per quod homo in statum quendam tanquam in spatium suum morale collocatur, appellatur Habitus (quod Habitus genus ad prædicamenta moralia pertinet) vel etiam Habitus opponitur privationi, quatenus scilicet notat præsentiam formæ in subjecto capaci & ex mente Aristotelicorum ad Post-prædicamenta refertur. Ultimum quoque locum inter prædicamenta obtinet Habitus, qui describi solet per adjacentiam externi tegumenti circa substantiam, vel etiam circa corpus, habitus enim hujusmodi spiritibus nisi in corpore assumpto non competit. Datur verò præterea Habitus, qui est species quædam qualitatis firmiter in subjecto radicata, ejusque facultatem operandi perficiens, de quo etiam sermo est illis qui Theologiam per habitum definiunt. Neque diffiteri possum, Theologiæ naturam & indolem quam proximè ad qualitatis hujus requisita accedere

dere



dere, quamvis non plané cum iisdem conveniat, prouti hoc nec ex verbis Apostoli exsculpi potest. Enim verò Habitus Biblicus & Habitus Philosophicus toto cœlo inter se differunt & quidem 1) Principio, quod illius est gratiosa Spiritus S. per verbum illuminatio; hujus verò vires hominis naturales 2) Subiecto, quod illius est homo in statu gratiæ saltem generalis constitutus à Spiritu S. illuminatus & non nisi privativè irrogenitus; hujus verò homo animalis etiam negativè irrogenitus 3) Objecto: Habitus Philosophicus versatur circa res naturales ex lumine naturæ cognoscibiles & veluti ad inferius hæmisphærium pertinentes; Habitus verò in sensu Biblico pro objecto habet res spirituales ad superius veluti hæmisphærium intellectus humani pertinentes & ex revelatione duntaxat cognoscibiles 4) Forma specifica, omnes habitus Aristotelici sunt acquisiti, in sensu Biblico verò Habitus datur partim connatus, ut ante lapsum, in hominibus integris, partim infusus ut in Apostolis, partim divinitus datus sive Θεοδότης ut in omnibus Theologiæ cultoribus 5) Affectionibus: Habitus Philosophicus sapientiam, scientiam, intelligentiam, prudentiam & artem, tanquam species quasdam sub se complectitur, adeoque quam latissimè patet, quod de Habitu Theologico dici nullo modo potest. Major quoque veritas deprehenditur in Habitu Theologico quam quidem in omni Habitu Philosophicorum genere, qui lubrico sæpe innituntur fundamento. Prætereà Philosophici Habitus naturaliter sunt evidentes, cum é contrario Habitus in sensu Biblico sumptus summa gaudeat sublimitate.

§. VI.



## §. VI.

Magis adhuc ex haecenus disputatis edocemur quanto in pretio sit habenda definitio Theologiae per habitum. Tantum enim abest ut vocabulum hoc in Theologiam minimè quadret, ut potius non absque insigni emphasi praeter genus Theologiae Acroamaticae etiam differentiam specificam insinuet, quod certe non capiunt, qui definitionem à B. KÖNIGIO *Theol. posit. p. 7.* datam in perfectionis postulant, eandemque ad Theologiam Catechetica quoque, applicari posse affirmant. Sic autem definitio l. c. legitur: *Theologia est Habitus intellectus practicus, e verbo DEi scripto de vera religione haustus, ut ejus opera homo peccator perfidem ad vitam perducatur.* Videtur equidem primo intuitu definitio hæc justo latior, quia Theologia catechetica 1) est ex verbo DEi scripto hausta 2) agit de vera religione 3) peccatorem ad DEum ducit. Taceo quod Autorem nostrum genus tantummodo remotum Theologiae indicasse nonnulli observent, cum non præcisè determinaverit, ad quam speciem habitus Theologia sit referenda. Sed in promptu est Responsio: scilicet 1) liberari definitionem nostram à nimia laxitate per terminum habitus, de quo idem ac de termino ἀνομίας ferendum est judicium. Quemadmodum enim tota definitio peccati nobis sistitur 1. Job. III. 4. ἡ ἀμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία, ubi per a privativum deflexio sive discrepantia tanquã peccati genus denotatur, differentia specifica desumpta ab objecto vel materia circa quam nimirũ à νόμος: Sic etiam Habitus non solum suppeditat nobis conceptum Theologiae genericum,



ricum, quod nempe sit qualitas firmiter in subiecto radicata, sed etiam specificum saltem ex parte talem qua subiectum scilicet quod est homo perfectus & Theologiæ catechetiæ principiis jam benè præparatus. Simulac itaque Theologia vocatur habitus, facile intelligi potest, sermonem esse de Theologia Acroamatica, quia habitus *Heb. V. 12.* ad subiecta Theologiæ Acroamatiæ restringitur; ut tum demum tota prodeat Theologiæ definitio, quando reliquum differentiæ, principium nempe cognoscendi, objectum & finis, in quibus Theologia catechetica & Acroamatica conveniunt, adjicitur. Neque vero 2) *Habitus tantummodo est genus Theologiæ remotum, cum in Scriptura S. de omnibus istiusmodi habitus speciebus altum sit silentium.*

## §. VII.

Quemadmodum verò *Habitus Philosophicus & Habitus Theologicus* in eo conveniunt, quod uterque sit qualitas subiecto suo inhærens, uterque per crebrum exercitium comparetur, uterque subiectum quo habeat intellectum, ita quo minus *Theologiam Catechetica* habitus nomine queamus insignire nulla ratione prohibemur, eo nimirum respectu quo habitus uterque cum altero comparari potest, vel ut veritatem citra involucrum proponamus, sensu magis Philosophico quam Biblico. Per *Theologiam Catechetica* intelligimus ad captum rudiorum accommodatam capitum doctrinæ Christianæ maximè ad

B

fa-



salutem necessariorum tractationem, qua quidem nemo Christianus veri nominis talis superfedere potest. *Job. XVII. 3.* Nonne verò notitiæ rerum sacrarum cupidus Christianus assiduo scrutinio tantum proficere potest, ut omnia Catechismi sui capita habeat in numerato? Certè postquam ope ministerioque Lutheri Catechismus in Scholas & Ecclesias est introductus, & horribile illud iniquitatis mysterium de fide implicita ex Ecclesiis nostris proscriptum est, reperiuntur apud nos multi, qui per gratiam Spiritus S. ad talem pervenerunt Theologiæ Catechetiæ habitum, ut fidei suæ sufficientem possint reddere rationem. Dico de industria per gratiam Spiritus S. in hoc enim manet differentia inter Philosophicum & Theologiæ Catechetiæ habitum, quod hic fit maneatque *θεολογία*. De cætero quare significatio vocis hujus Biblica in Theologiæ Catechetiæ definitione locum invenire nequeat, ex diversitate subjecti, ut supra ostensum, haud difficulter colligi potest.

## §. VIII.

Vidimus hætenus an & quo sensu Theologia fit Habitus. Jam propius nunc accedendum nobis est ad Quæstionem: An Theologia fit Habitus Practicus? cujus examinandæ gratia hancce potissimum dissertationem conscripsimus. In antecessum verò varias Theologorum de hac controversia sententias in medium afferam, ad quinque classes facili negotio revocandas. Alii Theologiam pro ha-

bitu



bitu mere Theoretico venditant ; alii pro habitu Practico militant ; alii Theologiam habitum affectivum appellant ; alii vicissim media quasi via incedentes Theologiam habitum mixtum i. e. partim theoreticum partim practicum esse asserunt, quibus tandem ex nostris jungimus, qui practicam quidem Theologiam magis esse quam Theoreticam concedunt, sed non nisi sub certis quibusdam restrictionibus ac limitationibus. Inter Scholasticos DURANDUS, MARSILIUS, HENRICUS GANDAVENSIS, & tantum non omnes qui Theologiam per scientiam vel etiam sapientiam definiunt, Theologiam pro habitu mere speculativo habent. Conf. MICH. WALTHERI, *Quadrag. Miscell. Theol. Diatr. XIV. de Theol. in Gen. Qu. VIII. p. 110. & Qu. XVII. p. 527.* SCOTUS contra & ejus affectu docent : Theologiam esse per se & formaliter Practicam, referente JOH. MUSÆO *Introd. in Theol. C. III. p. 122.* quem in finem etiam multa testimonia Patrum adducunt vid. CALOVII *System. Tom. I. Proleg. Qu. V. §. 9.* a quibus non multum absunt GEORGIUS CALIXTUS *Epitom. Theol. moral. C. III.* & CONRADUS HORNEJUS, *Disp. I. de natura Theol. Thes. 46. seqq.* utpote qui Bona Opera inter media salutis collocant. Habitu affectivum excogitarunt referente DURANDO *Qu. VI. Proleg. Art. III.* ÆGIDIUS ROMANUS & THOMAS ARGENTINENSIS. conf. etiam BONAVENTURA *Qu. III.* ALBERT. I. *Sent. Distinct. I. Art. IV.* citante B. DOM. BALTH. RHAWIO *Theol. Polem.*



à B. DN. D. GRAPPIO *edit* p. 15. quorum sententia huc redit : Præcipuum Theologiæ finem esse excitare affectum amoris erga DEUM conf. MUSÆUS *l. c.* p. 122. *seqq.* Pro habitu mixto decertant ex Scholasticis THOMISTÆ, cum quibus consentiunt de VALENT. *Tom. 1. Disp. 1, Qu. III. po. III. §. 3.* & ALSTEDIUS *in Lexico Theol.* p. 7. Hi ipsi tamen aliquale adhuc fovent inter se sententiarum divortium ; Alii simpliciter Theoreticum & secundum quid practicum, sive magis theoreticum quam practicum habitum esse contendunt ; alii magis practicum quam theoreticum, quos recenset QVENSTED *System. P. I. c. 1. Sect. II. Qu. III. p. 17.* Addictus quoque fuit quondam hypothese huic de habitu mixto B. D. MEISNERUS *Phil. Sobr. Part. 1. Sect. II. p. 461.* sed postea meliora edoctus sententiam mutavit *P. III. Phil. Sobr. Sect. 1. p. 190.* quod magnæ ipsi laudi ducit CALOVIVUS *l. c.* p. 31. Addantur BROCHMAND *Tom. 1. de Theol. Constitut. Sect. III. D. JAC. MARTINI Colleg. Nov-Anti-Calvin. Disp. §. 6.* HOTTINGER *curf. Theol. f. 10.* THEOLOGI LEIDENSES *in Synopsi purioris Theologiæ Disp. §. 22.* MARESII *Systema Theol. Loc. 1. §. 12.* Quo sensu etiam PETRUS van MASTRICHT *edidit Theologiam Theoretico-Practicam.* De omnibus modo enarratis opinionibus refutandis, non est cur magnopere sumus solliciti, cum alii jam refellendis Scholasticorum maxime argumentis operam dederint. Sic enim argumenta illorum, qui pro nuda theoria pugnant, feliciter solvit

solvit



solvit WALTHERUS *l. c. Qu. XVII. p. 527. seqq.* Quæ de habitu affectivo disputata sunt, discussit MUSÆUS *l. c. p. m. 122. sqq.* & CALOVIUS *System. P. I. Proleg. Qu. VIII. p. 44. seqq.* Explosa quoque est Scholasticorum de habitu mixto sententia à WALTHERO *l. c. Qu. XVII. p. 527.* & MEISNERO *l. c. p. 179.* aliisque. Longe majoris momenti sunt discrepantes nostratum Theologorum de habitu Practico cogitationes.

## §. XI.

Nimirum in eo conveniunt, CALOVIUS, SCHERZERUS, MEISNERUS, RHAVIUS, WALTHERUS, NEUMANNUS, FECHTIUS, QVENSTEDIUS aliique, Theologiam nostram non eodem quo Philosophia sensu posse vocari practicam, nec tamen omnes eadem utuntur explicatione, manifesto documento, se non per omnia in materia hac non nihil intricata conspirare. CALOVIUS *l. c. p. 28.* Theologiam habitum practicum esse dicit, non quidem ita ut praxis hæc in humana potestate collocetur, prout circa τὰ ἀνθρώπινα πράξις versari dicitur à Philosopho, qui respexit praxin in specie moralem, sed ob aliam planeque diversam praxin, spirituales nempe perductionem hominis ad æternam salutem, non quod medium ejus sit studium Bonorum operum, sed ob praxin fidei. Negat itaque CALOVIUS 1) Praxin esse hominis 2) contra CALIXTUM & HORNEJUM observat praxin Bonorum operum non influere in salutem 3) à Praxi fidei Theologiam practicam dici asserit; do-  
B 3
leo



leo vero CALOVIUM non determinasse cujusnam sit illa praxis? An ministri Ecclesiæ, an Spiritus S. an verò ipsius hominis ad vitam æternam contendentis? B. DN. D. FECHTIUS *Lect. in Syllog. Disp. II. Thes. 8. Theologiam prout pro objecto habet credenda, analogicè practicam, prout verò pro objecto habet mores univoce practicam esse dicit.* Præterit tamen quod minime prætereundum erat, scilicet praxin quoad credenda, & quoad initium & quoad progressum deberi Spiritui S. quod pariter circa mores observandum, quorum primariae partes semper Spiritui S. manent, ut paulò post fufius demonstrabitur. B. DN. D. SCHERZERUS *System. Prolegom. de Theol. §. 8, p. 3. Partim propter principium practicum, quod non propter nudam cognitionem revelatum est, partim quia fides non in nuda speculatione consistit, Theologiam practicam vocat. Verbo, inquit, nihil est in Theologia quod non sit practicum, i. e. praxin pro fine habeat.* Neque hæ rationes tanti ponderis sunt, ut Theologiam habitum practicum esse nobis persuadeant. Fateor; principium Theologiæ non propter nudam cognitionem esse revelatum; nihil tamen amplius exinde concludi posse existimo, quam Scripturam S. quatenus cognoscenda proponit, esse principium Theologiæ Didacticæ, quatenus verò agenda inculcat, esse principium Theologiæ moralis. Fidem etiam non in nuda speculatione consistere extra controversiam est, quod tamen tum demum probat Theologiam nostram esse habitum practicum, quando demonstratum est, fidem, quatenus ex parte nostra praxin

praxin



praxin requirit influere posse vel in justificationem, vel in vitæ æternæ consecutionem. QVENS-  
 STEDIUS *System. P. I. C. I. S. II. pag. 16. Distinguit*  
*inter Praxin fidei & pietatis, utramque praxin in Theo-*  
*logia dari dicit; Illam tamen non hanc esse medium per-*  
*veniendi vel perducendi alios ad salutem. Negat quoque*  
*cognitionem & praxin æque principaliter in Theologia re-*  
*spici, & quod in cognitione v. g. DEi, Christi &c. tanquam*  
*in ultimo fine acquiescamus. Distinguit porro inter habi-*  
*tum perveniendi & perducendi alios ad salutem, à postero-*  
*ri Theologiam Practicam appellari putat. Quæ verba B.*  
 Virum non solum aliorum tibias inflare ostendunt,  
 sed præterea contradictionem quandam in se conti-  
 nent, ortam procul dubio ex præpostero diversas  
 sententias conciliandi studio. Largitur enim, praxin  
 fidei esse medium perveniendi ad vitam æternam,  
 mox verò negat propter habitum perveniendi ad  
 salutem æternam Theologiam dici practicam. Quid?  
 num fides ministri Ecclesiæ alios ad salutem perdu-  
 centis quicquam ad finem hunc obtinendum con-  
 fert? Quantum quidem ex *Aphor. XLI. p. 40. Theol.*  
*Aphor. B. NEUMANNI* constat, illi Practica dicitur  
 Theologia, quia ultimato ad praxin tum fidei tum  
 operum collineat. B. WALTHERI sententia quoad  
 omnia fere cum mente CALOVII convenit, sic enim  
 ille *l. c. Vocabulum Praxeos hic aliter sumitur ac in Philosophia,*  
*ubi Practicæ disciplinæ appellantur illæ, quarum finis est expe-*  
*dita ac continua boni actio, media verò actus præcedentes*  
*virtuosi ex propriis & naturalibus viribus suscepti &c.*  
 Quæ verba debet MEISNERO *Phil. Sobr. P. III. p. m.*



180. qui addit: *Finem Theologiæ ultimum esse vitam eternam vel beatam DEi fruitionem; internum vero ipsum operari non hominis lapsi tanquam patientis, sed potius ipsius Theologi circa hominem lapsum tanquam spiritalis medici.* Ast vero praxin Theologi non sufficere ad disciplinam veri nominis practicam, suo loco dabimus evictum. *Dn. D. MUSÆUS Introd. in Theol. C. III. p. m. 118.* diversam in eo fovet à reliquis sententiam, quod Theologiam non per habitum sed per scientiam practicam definiat. Quid periculi huic hypothesei subsit patet ex §. 2. Digna tandem sunt quæ recenseantur *B. D. BALTHAS. RHAWII Theol. Polem. p. 118.* verba: *Si habitus Practicus sumatur in sensu lato & generali pro omni qualitate qua mens nostra tendit ad actionem, ut in ea ceu fine acquiescat, Theologia in Bibliis depingitur ut habitus Practicus, quem exercent videntes in sermonibus DEi 1. Paral. XXV. 5. qui docent & erudiunt populum.* Cujus viri sententiam eatenus nostram facimus, quatenus habitum practicum sensu lato & generali sumi asserit.

### §. X.

Nostrum jam qualecunque iudicium allaturi vocabuli *πράξεως* explicationem quantum quidem præsentis instituti nostri fert ratio, rationibus nostris præmittendam esse censemus. Denotat praxis in genere actionem. In sensu verò Philosophico & τῆ θεωρητικῆ & ποιητικῆ contradistinguitur. Et *ποίησις* & *πράξις* operantur; *ποίησις* verò semper producit opus sive materiale, ut ars sutoria, sive immateriale, ut Medicina



dicina ; cum é contrario  $\pi\rho\alpha\tilde{\xi}\iota\varsigma$  semper in se quasi sistat, nec semper terminetur ad aliquod opus. Sic justè aliquis agit secundum justitiam. Qui de habitu Practico disputant, plerumque praxin sensu strictiori sumptam intelligunt, quam pro diversitate subjecti distinguere solent in personalem & ministerialem. Personalem vocant, non quæ à persona proficiscitur, sic enim & praxis ministerialis personalis dici posset ; sed quæ versatur circa propriam agentis personam v. g. quando homo salutari rerum sacrarum notitia instructus propriam suam illuminationem, conversionem, regenerationem & tandem salutem æternam tanquam finem ultimum intendit, & quantum in se est, per Spiritus S. gratiam operatur. Competit hæc omnibus omnino veri nominis Christianis : Nec enim satis est mysteria fidei scrutari & assiduè in verbo DEI meditari, sed etiam unumquemque eum in finem scrutari, rimari & meditari oportet, ut cognitio mysteriorum divinatorum sibi vergat in salutem, ut ex verbo DEI regeneretur, convertatur & tandem ad vitam æternam perducatur *Job. XX. 13. 1. Pet. I. 8.* Ministerialis Praxis in ministros Ecclesiæ potissimum cadit, quibus cum salus animarum sibi concreditarum curæ cordique esse debeat, etiam alios salvare incumbit *Act. XX. 28. 1. Pet. V. 2. Ezech. III. 17. 18.* quamvis nequidem praxin personalem ministri Ecclesiæ negligere debeant, ne aliis viam salutis ostendant & ipsi reprobi fiant *1. Cor. IX. ult.* Praxis personalis etiam intransitiva dici suevit, quoniam terminatur quasi in subjecto praxin exercente, nec

C

ad



ad aliud subjectum transit; ministerialis vero praxis alias transitiva audit, quoniam ad alia subjecta veluti transit. Uti quoque nonnulli solent distinctione inter praxin formaliter & virtualiter talem; non quidem priori, benè tamen posteriori modo omnia in Theologia practica esse dicentes. Alii inter practicum propriè tale & analogicè practicum distinguunt, inque eo distinctionis hujus differentiam collocant, quod verè practicum finem suum per media moraliter practica obtineat, cum analogicè practicum finem suum per aliud quid, analogiam saltem cum praxi habens, obtinere alla-  
boret.

## §. XI.

Jam nunc statum Còntroversiæ sic formamus. Non quæritur: An Theologia sit habitus practicus in sensu generali & latiori? quod concedimus: Neque: An Theologia sit virtualiter practica? quod largimur. Hoc sensu enim rectè SCHERZERUS, l. c. *Nihil est in Theologia quod non sit practicum.* Neque: An propter praxin ministrorum Ecclesiæ Theologia aliquo modo nominari possit practica? quod nulli diffitemur; sed quæritur: *An Theologia Didactica stricte sic dicta sit Habitus Practicus Formaliter talis in sensu philosophico & rigoroso?* quod negamus.

## §. XII.

Attendamus saltem ad requisita habitus practici, & res ipsa docebit, eadem ad Theologiam  
mini



minimé posse applicari. Requiritur ad habitum practicum in rigore talem 1.) ut non subsistat in nuda theoria, sed ad praxin tendat 2.) ut versetur circa contingentia 3.) ut ipsum subjectum operationis praxin exerceat 4.) ut media quibus utitur subjectum operationis causalem habeant influxum in finem. Ita e. gr. in Ethica (quam disciplinam practicam esse quis neget?) Omnia 1.) directa sunt ad praxin. Non sufficit ut sciamus in quo consistat hæc vel illa virtus, hoc illudve vitium, sed debemus actu à vitiis abstinere & virtutibus operam dare 2.) actiones ethicæ sunt contingentes; sunt namque in potestate agentis positæ, qui potest vitam suam secundum præscriptum legum componere, potest etiam non componere, potest vivere justé, piè, temperanter, potest non vivere 3.) Ipse homo in quem finis Ethicæ, Summum scilicet Bonum est introducendus, debet media ad summum Bonum obtinendum idonea circumspicere, ex circumspectis omnium aptissima eligere, electa tandem ad ipsum finem accommodare & determinare 4.) virtutes ita sunt comparatæ ut suos cultores necessariò ad S. B. ducant. In Theologia res longé aliter se habet. Tendit quidem 1.) Theologia ad Praxin, hoc unicum verò requisitum nondum sufficit ad disciplinam veré practicam, reliquis omnibus deficientibus. Neque enim Theologia 2.) versatur circa mere contingentia, sed maximé circa necessaria, qualia sunt Deus, attributa divina &c. neque 3.) ipse homo



peccator ad salutem perducendus praxin exercet, vel ex propriis viribus exercere potest *conf. §. sqq.* Neque 4.) ulla datur proportio inter praxin hominis & inter vitam æternam, adeoque actiones hominis, quatenus hominis sunt, inter media referri nequeunt, quibus causalis in vitam æternam influxus tribuitur.

### §. XIII.

Quin potius DEO in solidum adscribendum est, quod non solum viam salutis & media ad vitam æternam contendendi nobis commonstret, sed etiam nos misellos homines à recto tramite sæpè aberrantes in viam reducat, & per media divinitus constituta ad se perducatur. Clarius hoc per omnia salutis media euntibus constabit. Sic DEUS nos vocat per præconium verbi, sive ordinariè sive extraordinariè propositi *2. Thess. II. 14. 1. Tim. II. 4. Matth. II. 1. 2. Luc. XXIII. 43. cujus causa principalis est Spiritus S. 2. Pet. I. 21. semper indivulso nexu cum verbo conjunctus, adeoque in, cum & sub verbo in nobis efficax. DEUS nos, qui olim eramus tenebræ, per verbum & legis & Evangelii Rom. I. 17. Rom. III. 20. illuminat, ut lux simus in Domino Eph. V. v. 8. conversionis sensu strictissimo sumptæ, pro collatione virium poenitendi, sive perductione voluntatis ad contritionem, causa efficiens principalis est DEUS Jer. XXXI. 18. qui cor laquideum in nobis conterit Ez. XI. 19. operaturque in nobis conversionem passivam, sive poenitentiam sensu Biblico & quidem*



ὁμοίως sumptam pro contritione & fide *Luc. III. 3.* quæ omnia pariter per verbum DEi excitantur, quod locuti sunt DEi homines *Φερόμενοι ὑπὸ πνεύματι ἁγίου 2. Pet. I. 21.* de Regeneratione sensu specifico tali i. e. collatione virium credendi & fiducialiter in merito Christi recumbendi *Job. I. 12. Gal. III. 27.* quæ rectè observante *B. NEUMANNO Theol. Aphorist. de Poenit. p. 471.* cum conversione strictissimè sic dicta concurrat ad pœnitentiam ceu ἀποτέλεσμα i. e. effectum à gemino principio natum, par esto iudicium. Quemadmodum enim nemo sibi ipse vitam naturalem conferre potest, ita nec vitam spiritualem nobis, sed DEO acceptam ferre debemus *Job. III. 15. 1. Job. III. 5.* qui per incorruptibile semen verbi sui nos regenerat *1. Pet. I. 23.* ut simus initium aliquod ejus creaturarum *Jac. I. 18.* Quæ deinceps regenerationem sequitur Justificatio opus DEI est ejusque superabundantis gratiæ *Rom. III. 24. 1. Cor. VI. 11.* sanctificantis quoque hominem in statu gratiæ jam constitutum i. e. bonis spiritualibus in Justificatione acquisitis fruentem *1. Thess. V. 23.* ut reliqua brevitate studio taceamus.

#### §. XIV.

Caveant sibi dissentientes ne detestabilem & jam multis retro annis tot orthodoxorum stylis confossam sententiam, de falsa irrogenitorum Theologia velut ex orco revocent. Quodsi enim in irrogenitis vera superest rerum sacrarum notitia, eandem quoque practicam esse oportet. Dicis: Practica est

C 3

rati-



ratione actuum ministrantium. Respondemus : 1.) non omnes irrogeniti veram tamen Theologiam possidentes, sunt ministri Ecclesiæ 2.) concedo, etiam ministerium impiorum esse efficax, provocans ad exempla Bileami *Num. XXII. 38. Num. XXIII. 10. 12. & Phariseorum in cathedra Mosis sedentium, Matth. XXIII. 2.* hoc verò non sufficere ad disciplinam formaliter practicam probabitur §. 15. Ratione actuum sanctificantium practica irrogenitorum Theologia esse nequit, si enim dona sanctificantia admitterent, definerent esse irrogeniti qua voluntatem, dolerent vitam suam anteactam, apprehenderent meritum Christi vera & viva fide, exercerent Bona Opera, quorum causa est fides per emanationem. Qua fronte igitur Theologiam impiorum formaliter & in rigore Practicam dixeris, cum neque praxin fidei, nedum Bonorum Operum excolant? Instas: Hac ratione plane otiosam fore irrogenitorum notitiam. Respondeo: Ex parte Spiritus S. est maximè operosa, qui etiam in homine omnium bipedum nequissimo indefinenter motus spirituales excitat *Hebr. IV. 12. Ezech. XXXIII. 11. Joel. II. 12. 13. Job. VI. 63. Es. LV. 10. 11.* Hoc ipso enim differt Theologia hominis impii à Theologia diaboli, quod hæc sit convictoria, damnatoria & reprobatoria *Jac. II. 19.* illa verò semper ex intentione DEI salutaris, efficax & gratiosa. Quæ omnia cum denuo probent, praxin non hominis, sed ipsius DEI esse, rectè me concludere existimo: Si Theologia vera, formaliter, & sensu Philosophico  
pra-



practica est, necessario quoque irrogenitorum Theologia quatenus est vera, hac ratione practica erit; Cum verò postèrius falsum esse à nobis fuerit demonstratum, aut prius veritati minus consentaneum esse oportet, aut pridem in DONATISTIS & FANATICIS recentioribus damnati errores: Inefficax esse ministerium malorum: Renovationem præcedere illuminationem: Irrogenitorum notitiam non esse verè spiritualem, sed saltem litteralem & mortuam &c. postliminiò in Ecclesiam revocandi.

### §. XV.

Numne verò propterea omnis praxis homini est deneganda? sanè qui à praxi fidei Theologiam nostram practicam dici existimant, aliquam saltem subjecto Theologiæ videntur relinquere actionem; neque finè fundamento. Agit namque homo partim ex viribus naturalibus post lapsum sibi adhuc relictis, partim ex viribus à Spiritu S. ejusque gratia sibi concessis. Agit homo ex viribus naturalibus v. g. in rebus sacris externis, vel, ut vocari solent, pædagogicis, quia illis quasi manu prehensi ducimur ad verè spiritualia. Potest enim homo die dominica frequentare templum, decantare hymnum, accommodare aures suas ad audiendum verbum divinum, utut finè motu spirituali. Sed resp: Actiones hæ non possunt referri inter media salutis. Etiam si enim hujusmodi hominem, sæpenumerò nihil minus quam de conversione sua cogitantem, Spiritus

tus



tus S. gratia sua præveniat, eundemque ad conversionem præparet, refrænando in ipso repugnantiam naturalem, ne erumpat in affectatam & morosam; non tamen actus hominis præcedanei hocce gratiæ gradus promerentur, utpoté ad quos 1) se merè habet passivè *vid. §. 12. 2)* nulla datur proportio inter gratiam DEI & inter nostram verbi divini auscultationem aliasque actiones pædagogicas. Non enim sequitur: Hic vel ille templum frequentat, sacris interest & sic porro, E. DEUS ipsum necessario debet convertere; hæ enim 3) sunt prærequisitæ subjecti convertendi conditiones, quæ ratione ordinis in œconomia gratiæ à DEO semel constituti conversionem equidem antecedunt, nullum vero in ipsam conversionem, nedum in vitam æternam, causalem habent influxum, ut olim docebant SYNERGISTÆ *vid. HUTTERRUS in Form. Conc. ad Art. II. Anti-thes. IV.* Par fere est ratio actionum nostrarum ex viribus à Spiritu S. nobis concessis proficiscentium. Quod homo in illuminatione verbo DEI assentiatur, hoc non potest tribui homini sibi relicto, qui animalis est, & ea quæ sunt Spiritus S. non percipit, stultitia enim ipsi est *1. Cor. II. 14.* sed gratiosæ Spiritus S. operationi, Quod in Justificatione apprehendat meritum Christi, id debet 1.) Spiritui S. qui ipsum in regeneratione viribus credendi instruxit *Fac. I 18. 1. Cor. III. 5.* Nec tamen 2.) apprehensio abstractivè considerata, quatenus est actus noster in ipsam Justificationem influit; sed fundamentum Justificationis est Christi meritum, in quod apprehensio hominis

nis



nis justificandi fertur *Rom. IV. 5. 6.* Quod denique homo jam renatus bonos motus concipiat, & Bona Opera, non legaciter, sed evangelice talia, non absoluté, sed relativé talia edat, oritur a Spiritu S. qui homines ad bené operandum impellit *Gal. V. 22.* Nec tamen 2.) ad vitam æternam obtinendam quicquam faciunt, quia Bona Opera saltem necessaria sunt ratione mandati, non ratione medi *Matth. V. 16. Luc. XVII. 10.* Nil itaque hæc omnia faciunt ad probandum: Theologiam nostram esse formaliter practicam, cum neque actiones modo memoratæ principiativè sint nostræ, neque quatenus à nobis proficiscuntur, ullum habeant in finem Theologiæ, nimirum in salutem æternam influxum, quod tamen ad praxin formaliter & in rigore talem requiri, supra est evictum §. 12.

## §. XVI.

Forsan itaque à Praxi Ministeriali Theologia nostra salutari poterit practica? Competit sanè ministris Ecclesiæ praxis, quæ absolvitur legitima verbi prædicatione, potestate clavium & sacramentorum dispensatione. Nefas quoque sit dicere: praxin hanc nullius esse efficaciam; describuntur enim Ministri Ecclesiæ ut cooperarii DEi *1. Cor. III. 9.* influentes in illuminationem *2. Cor. IV. 6.* conversionem *Act. XXVI. 18.* regenerationem *Gal. IV. 19. 1. Cor. IV. 15.* justificationem *Luc. I. 77.* renovationem *Jac. I. 19. 21.* Ipsa verò Theologia didactica propterea

D

non-



nondum est formaliter practica. Cum enim nemo possit cum fructu docere alios, qui non prius solidè didicit, futuris Ecclesiæ ministris incumbit ex Theologia Thetica cognitionem mysteriorum divinatorum probè imbibere. Quomodo verò mysteria divina ad praxin Ecclesiasticam debeant applicare, & quæ ipsi ex Theologia didicerunt, cum auditoribus suis ritè communicare, ex Theologia Homiletica addiscunt, inculcante præcepta formaliter practica, concionatoribus valdè profutura. Quid sacramenta sint, & cujusnam sint valoris & efficaciam, systemata suo loco docent. Quomodo vero sacerdotes in dispensatione ipsa sese gerere debeant, quid hic & nunc pro ratione circumstantiarum ipsis sit observandum, præscribi solet in Instructionibus vel Ethicis Pastoralibus. Taceo, quod salus æterna quam etiam ministri Ecclesiæ διακονῶς procurant Act. XI. 14. 1. Tim. IV. 16. non dependeat ab illorum personis; sed partim ab organis divinitus ad hanc rem consecratis, verbo scilicet Rom. I. 16. Jac. I. 21. & sacramentis Marc. XVI. 16. Tit. III. 5. Job. VI. 54. partim ἀνίστατορικῶς ab ipso DEO, qui suos commissarios virtute alios ad salutem æternam perducendi armavit, juxta illud Pauli: Neque qui plantat est aliquid, neque qui irrigat, sed DEUS qui dat incrementum 1. Cor. III 7.

## §. XVII.

Quæ de Praxi virtuali disputari solent, sua luce



luce radiant. Nihil docetur in Theologia, quod non ad officium quoddam, Christiano homine dignum nos exstimulet. Quapropter etiam *Tit. I. 1.* Theologia describitur ut *ἐπίγνωσις ἀληθείας τῆς κατ' εὐσεβείαν*, *cognitio veritatis quæ secundum pietatem.*: Et sermo Domini nostri JESU Christi, quem Theologia proponit, ut *διδασκαλία κατ' εὐσεβείαν* *I. Tim. VI. 3.* in quibus locis præpositio *κατὰ* cum accusativo constructa indicat causam finalem conf. *2. Tim. I. 1.* ut sensus sit: Cognitionem veritatis non esse simpliciter & nudè speculativam, vel planè otiosam, sed cultum DEI legitimum pro fine habere, adeoque nos ducere, impellere & rapere quasi ad pietatem. Sic non satis est ut cognoscamus, DEUM esse sanctum, justum &c. sed debemus etiam DEUM ut sanctum & justum adorare, debemus summa ope anniti, ut indes magis magisque accedat sanctitas nostra ad sanctitatem DEI, eidemque fiat conformis *Levit. XI. 44.* Scire homines justificatos & renatos DEO acceptos esse, parum est, nisi & nos operam demus ut DEO placeamus, & vanitatibus hujus seculi damnatis, pietatem minimè hypocriticam sectemur, sistentes corpora nostra hostiam viventem, sanctam, bene placentem DEO *Rom. XII. 1.* Quid verò hæc omnia ad disciplinam formaliter practicam? nihil: Omne pietatis studium principiatiuè non est nostrum, sed DEI, operantis & velle & agere *Phil. II. 13.* vid. § 13. § 15. neque est meritorium vitæ æternæ *Luc. XVII.*



10. Aliud quoque est formaliter, aliud virtualiter practicum esse. Quæ in Theologia formaliter practica sunt, pertinent ad Theologiam Moralem; si verò quæ virtualiter practica sunt, & ad praxin formaliter talem aliquo modo faciunt, constituerent disciplinam practicam, liceret citra ἀ-μαιδευσίας notam discrimen inter practicas & theoreticas disciplinas planè tollere. Physica & Theologia Naturalis strictè sic dicta, sunt scientiæ theoreticæ, virtualiter tamen practicæ? Physicà: quia contemplatio corporum naturalium excitare potest in me admirationem omnipotentiae & sapientiae divinæ *Ps. XIX. 1. Job. XII. 7, 8.* Theologia naturalis: Quia gentiles legem non habentes, beneficio Theologiae naturalis sibi ipsis fuerunt legi, & fecerunt quæ sunt legis *Rom. II. 14.*

## §. XIIX

Confectarii loco ex hætenus dictis elici potest, quanam methodo Theologia omnium commodissimè debeat tractari? Communiter methodus dispesci solet in Analyticam & Syntheticam. Illa est, quæ procedit à principiatis ad principia à compositis ad magis simplicia; Hæc verò inverso ordine à simplicibus & principiis pergit ad composita & principiata. Illa Practicis, hæc Theoreticis scientiis accommodari solet. Cum  
ve-



verò methodus etiam Analytica procedat à principiis ad principiata (quia finis etiam inter causas refertur) præstat dicere: Analyticam methodum esse, quæ à consideratione finis, tanquam primi in agentis intentione, pergit ad considerationem subjecti, & definit in mediis ad finem ducentibus. Loqui enim cum vulgo & terminum ἀναλύσεως hoc modo accipere, quid obstat? Syntheticam methodum alii describunt: quod à consideratione objecti tendat ad considerationem affectionum, & sic veluti objectum cum affectionibus componat. Quando jam quæritur: Quænam methodus Theologiæ maximè conveniat? pronunciamus pro utraque. Analytica methodo in tradenda Theologia post Reformationem primus usus est GEORGIUS CALIXTUS in *Epitome Theologiæ Brunsvigæ 1653. edita*, multa admiscens ad palatum Pontificiorum, quæ postea ab aliis emendata sunt, vid. MENZERI *Epistola ad WIDENBURGIUM de CALIXTI Epitome Theol. in unschuldigen Nachrichten ad An. 1708. p. 203.* Forfan verò non minus commodè syntheticam methodum ad Theologiam posse applicari, ex argumentis, Theologiam formaliter practicam non esse, evincentibus, probari potest. Ob summam quoque



que methodi Mathematicæ cum synthetica convenientiam, quo minus systema Theologiæ theticæ per definitiones, Axiomata & Theoremata, annexis, ubi opus fuerit, scholiis conscribi possit, nulla religione prohiberi posse existimo.

**TANTUM!**



*Coll. diss. A. 232, misc. 23*